



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Diogenis Et Catonis De Furibus, & Anacharsis de legibus dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Qui primus docuit victorem Marte superbum
 Annibalem trepida vertere terga fuga.
 Illa sed hoc positu perhibent constructa modoque,
 Atque ita vicinis continuata locis,
 Alterum ad alterius sua per compendia limen
 Duceret, atque viæ posset vt esse loco:
 Nec nisi Virtutis sacrum penetrabile subisses,
 Fas tibi tangendi limen Honoris erat.
 Scilicet vt noscent mortales quisquis honores
 Posceret, huic virtus ante colenda foret.
 Quamquam præterita hac multi perumpere ad illos
 Contendunt, scutica turba fuganda graui,
 Sic quoque non pauci Christi ingrediuntur ouile,
 At non per Christum qui via solus erat.
 Delitias etiam, atque ignaua per ocia multi
 Peruia celorum regna futura putant:
 Quum tamen illa pati vim Christus dicat, & in que
 Non, nisi perpeffus plurima, fecit iter.

DIOGENIS ET CATONIS DE
Furibus, & Anacharsis de legibus dicta.

Compreffum duci furem quum forte videret
 Is cui cognomen vita canina dedit,
 Magnus, ait, paruum rapit in sua vincula furem
 Sumpturus penas dignior ipse pati.
 Hac Cynicus. Magni subscribunt dicta Catonis,
 Censuræ gestus quem celebrauit honoꝛs:
 Priuatas hominum res qui furantur, in arcto
 Carcere, dicebat, degere more feræ:
 Publica, qui rapiunt, prædaque implentur opima,
 Læta etiam sceleris præmia ferre sui.

Pur.

Purpureos videas illos, auroque nitentes
 Agmine feruorum terga sequente gradi.
 Nimirum telis similes quas texit Arachne,
 Iure queant leges dici Anacharsis ait.
 Constringunt inopem, perrumpunturque potenti:
 Huic parcunt, illi vincla crucemque parant.

QVIS VERE POTENS.

Nomine non falso qui se volet esse potentem,
 Ille suos animos, & fera corda domet:
 Nec sua fallaci deuicta libidine colla,
 Vnquam sustineat vincula foeda pati.
 India tota licet longè tua iura tremiscat,
 Vltima sit Thulæ subdita terra tibi,
 Si tamen haud animi potis es componere fluctus,
 Nomine mentito diceris esse potens.

DESCIPTIONE,

Ex Valer. Max. Lib. III.

Scipio Pompei partes & signa sequutus,
 Dum certat genero fidus adesse socer:
 Cæsareo infelix superatur milite, victus
 Per maria Hispanos non bene tuta petit.
 Dumque ferox hostis fugienti instare sequendo
 Continuat, captam conspicit ille rātem.
 Pectora correpto sua mox transfuerberat ense,
 Dumque capi non vult, occupat antè mori.
 Nec mora, dum celeri moribundus puppe iaceret,
 Aduolitant hostes, de duce quisque rogat.
 Ille sed infesto postquam se milite sensit
 Quæri, nil aliud, Dux bene, dixit, habet.
 Tantillum vitæ pulchros seruarat in vsus,
 Signa quod inuicti pectoris apta daret.

DE